

- nunc postquam ademptam hanc quoque tibi causam vides, 680
 puer quia clam test natu', nactus alteram es.
- 60 erras tui animi si me esse ignarum putas.
 aliquando tandem huc animum ut adiungas tuom.
 quam longum spatium amandi amicam tibi dedi!
 sumptus quos fecisti in eam quam animo aequo tuli! 685
 egi atque oravi tecum uxorem ut duceres,
- 65 tempus dixi esse: impulsu duxisti meo;
 quae tum obsecutu' mihi fecisti ut decuerat.
 nunc animum rursus ad meretricem induxti tuom;
 quoi tu obsecutu' facis huic adeo iniuriam. 690
 nam in eandem vitam te revolutum denuo
- 70 video esse. *PA.* mene? *LA.* te ipsum: et facis iniuriam;
 confingi' falsas causas ad discordiam,
 ut cum illa vivas, testem hanc quom abs te amoveris.
 sensitque adeo uxor; nam eî causa alia quae fuit 695
 quamobrem abs te abiret? *PH.* plane hic divinat: nam id est.
- 75 *PA.* dabõ iusiurandum nil esse istorum mihi. *LA.* ah
 redduc uxorem aut quãm õb rem non opu' sit cedo.
PA. non est nunc tempu'. *LA.* puerum accipias; nam is
 quidem
 in culpa non est: post de matre videro. 700
PA. omnibu' modis miser sum nec quid agam scio;
- 80 tot nunc me rebu' miserum concludit pater.
 abibo hinc, praesens quando promoveo parum.
 nam puerum iniussu credo non tollent meo,
 praesertim in ea re quom sit mi adiutrix socrus. 705
LA. fugis? hem, nec quicquam certi respondes mihi?—
- 85 num tibi videtur esse apud sese? sine: